

et nunc propositum: una est potestas volendi, alia est potestas non volendi, seu nolendi illud. Si ergo voluntas jam expedita et proxime disposita ad operandum circa tale objectum, non est indifferens ad utramque partem illius potestatis, sicut erat per se præcise, ac remote, et nude spectata; ergo ad unam partem illarum manebit proxime et simpliciter potens, ad alteram vero non nisi remote ac subinde proxime impotens; ergo de facto voluntas tunc non operatur tanquam domina utriusque potestatis, sed perinde se habet ac si alteram tantum potestatem haberet, ac proinde non libere operatur. Ut declarem et probemus consequentiam, constituamus et consideremus voluntatem dicto modo proxime dispositam ac præparatam, seu applicatam ad primum usum libertatis suæ, prius natura quam libertate utatur. Aut ergo etiam tunc retinet indifferentiam ad utramque partem, et hoc est quod intendimus; aut alteram tantum potestatem exercere potest, verbi gratia, volendi, et tunc profecto sequitur ut sit hic et nunc simpliciter et proxime impotens ad nolendum, quia, ut posset nolle, deberet aliter præparari seu disponi, quod jam non est in potestate illius, nec antea fuit, quia nondum usa fuerat libertate sua, ut supponitur: ergo illa libertas remota nunquam ad usum liberum applicatur. Atque hic discursus et assertio ex capite sequenti amplius confirmabitur.

CAPUT III.

UTRUM RECTE DESCRIBATUR POTESTAS LIBERA ESSE, QUÆ, POSITIS OMNIBUS PRÆREQUISITIS AD AGENDUM, POTEST AGERE ET NON AGERE.

1. *Verbum potest in sensu composito et diviso accipitur.* — Punctum hoc tractavi in l. 1 de Auxiliis, quia illius resolutionem et declarationem, ad intelligendum usum libertatis et concordiam ejus cum gratia, censeo esse valde necessariam, et ob eandem causam iterum hic præmittendum esse judicavi, quia nonnulli moderni, licet descriptionem, seu propositionem illam simpliciter negare non audeant, illam limitant variis modis, prout unicuique, ad proprias sententias in aliis punctis defendendas, commodum videtur. Has ergo limitationes hic expendere necesse est, ut postea cum solido fundamento procedere valeamus. Ut autem intelligantur limitationes, sciendum est verbum illud *potest*, in descriptione positum, duobus modis accipi solere, scilicet, in

sensu composito, vel diviso, id est, vel ut cum illis omnibus prærequisitis stare simul possit, tam agere quam non agere; vel ut, stantibus illis prærequisitis, potentia retineat integram libertatem suam, non tamen possit uti illa ad non agendum, nisi aliquod ex dictis prærequisitis auferatur.

2. *Prima limitatio aliquorum.* — Primus ergo modus interpretandi vel limitandi illam descriptionem est, ut, si verbum *potest* accipiat in sensu composito, limitanda sit ad prærequisita ex parte causarum secundarum, ut intellectus, objecti, et phantasie, et si quid est aliud simile, non tamen extendatur ad prærequisita ex parte Dei; tum quia prævius concursus est necessarius ex parte Dei, et tamen illo posito non potest voluntas agere et non agere, sed tantum agere; tum etiam quia voluntas, qua Deus vult liberum arbitrium operari, est necessaria, ut arbitrium operetur, et est ex prærequisitis, quia præcedit ipsum actum et determinationem voluntatis creatæ; et posita illa Dei voluntate, non stat voluntatem creatam liberam non operari; ergo necessario ab illa descriptione excipienda sunt prærequisita ex parte primæ causæ. Ita opinatur Alvarez, disput. 115; Ledesm., art. 10, § *Sed antequam*, post 7 concl., et alii.

3. *Secunda limitatio.* — Secundus modus limitandi descriptionem illam est, ut, si intelligatur de omnibus prærequisitis, tam ex parte Dei quam ex parte aliarum causarum, vel conditionum necessariorum, verbum *potest* accipiendum sit in sensu diviso, non in composito, respectu utriusque actus agendi et non agendi, etiam divisim seu sigillatim sumpti. Ita ut sensus sit, illam potentiam esse liberam, quæ, positis omnibus requisitis, adhuc in se retinet potestatem non agendi, etiamsi, stantibus illis omnibus prærequisitis, cum illis conjungi non possit ut non agat, sed oporteat aliquod ex illis prærequisitis auferri, ut potentia libera sua potestate non agendi utatur. Et simili modo, quando talis potentia non agit, aut non vult, potestatem retinet agendi, et ideo libera est; non potest tamen conjungere actionem vel volitionem cum solis illis prærequisitis quæ tunc concurrunt, quando non vult, nisi aliquid, quod deerat, addatur, et ordine naturæ seu causalitatis præcedat. Et hunc etiam modum dicendi approbant dicti auctores; in quolibet autem alio sensu illam descriptionem rejiciunt, quam etiam dicunt non esse ab Aristotele, D. Thoma, Magistro, vel aliquo gravi doctore traditam, sed ab Almain. et quibus-

dam Nominalibus inventam: et ita facile omnia contemnunt quæ de illa descriptione in libro 1 de Auxiliis diximus.

4. *Prima assertio.*—*Vera est definitio libertatis in titulo posita.* — Nihilominus iterum dicimus descriptionem illam optimam esse, et a gravissimis auctoribus traditam, vel eisdem, vel æquivalentibus verbis. Imo existimo, ante nuperas controversias circa auxilium efficax gratiæ exortas, descriptionem illam fuisse a doctoribus, et in scholis communiter probatam, ut affirmat Victor., Relect. de homine veniente ad usum rationis, quæst. 1, propos. 3, ubi etiam ipse illam supponit, licet ad usum liberi arbitrii amplius requiratur. Eandem supponit tanquam communem Valent., 2 tom., disp. 8, quæst. 5, punct. 4, § 4, ubi ait in hoc consistere essentialiter libertatem actionis. Eandem ponit, ut receptam sententiam, Cordub. in lib. 1 Quæstion., q. 55, dub. 9 et 10; et sumitur ex Nemesio, lib. de Natur. hom., c. 35, dicente *esse autem liberum si, eisdem positis causis, in nobis esset aliquando appetere, aliquando refugere, etc.*; et ex Scot. 2, d. 25, q. unic., in fine; et ibi Gabr., n. 3, dub. 3 et 4, et in 1, d. 48, cap. 3; et ibi Occam. et quodl. 1, quæst. 16; et Marsil. 2, q. 16, art. 4; et Dion. Cist. 2, d. 25, art. 2, concl. 2, et art. 3, concl. 4; Henr. quodl. 1, quæstion. 16; Herv., quæst. 1; Sot., lib. 1 de Natur. et Grat., cap. 16, ubi ponit illam ut receptam definitionem liberi arbitrii. Et novissime consentit Curiel. Contr. 2, in Epist. 2 D. Petr., n. 234. Denique ex Aristotele ac divo Thoma paulo post illam comprobabimus. Ratio autem potissima est, quia per illa verba optime declaratur internum dominium voluntatis in actiones suas, et proxima potestas operandi et non operandi, vel operandi contrarium, quæ vix potest aliis verbis commodius explicari.

5. *Pronuntiata liberi arbitrii.*—*Dominium quid sit.* — Assumptum declaratur imprimis, per varias definitiones liberi arbitrii ab aliis traditas breviter discurrendo. Quinque sumi possunt ex Illustrissimo Bellarmino, lib. 3 de Gratia et liber. arbitr., et ipse addit sextam, quæ tamen proprie definitiones non sunt, sed quædam sunt simplices assertiones aliquarum proprietatum liberi arbitrii. Tale enim est quod liberum arbitrium sit *rationalis voluntas*, vel quod sit *potestas servandi rectitudinem propter ipsam rectitudinem*. Aliæ quodammodo involvunt definitum in definitione, ut cum dicitur arbitrium esse *liberum de ratione judicium*, ut ex philosophis refert D. Thomas

1. 2, quæstione 17, art. 1. ad 2, cum Magist. in 2, distinct. 25, in principio; vel esse *habitu animi liberum sui*, vel esse *consensum ob inamissibilem animi libertatem*, vel *liberam potestatem eligendi, aut acceptandi, et respondendi*. Ut enim omittam alios defectus qui in his locutionibus, si ut propriæ definitiones accipiantur, notari possunt; quoties nomen *liberi* vel *libertatis* in definitione ponitur, definitio involvit definitum, et æque obscura manet, quia, cum liberum arbitrium definiendum proponitur, maxime declarari desideratur quid significet illud *liberum*, vel quid sit illa libertas, unde liberum denominatur; hoc autem in illis descriptionibus non declaratur, sed reperitur, et ideo dico in illis definitum involvi. E contrario vero, cum Magist. in 2, distinct. 24, dicit liberum arbitrium esse *facultatem voluntatis et rationis, qua bonum vel malum eligitur*, nec adæquate explicat facultatem illam, quia libertas non solum in electione, sed etiam in aliis actibus voluntatis, nec solum in electione inter bonum et malum, sed in electione inter plura bona exerceri potest: neque etiam declarat quid sit electionem, aut consensum, vel volitionem esse liberam, quod maxime desideratur. Unde D. Thom. 1. 2, q. 1, a. 1, non definiendo, sed asserendo, dixit *liberum arbitrium esse facultatem voluntatis et rationis*, et quasi tacite complens descriptionem, addidit illam facultatem esse *per quam homo est dominus suorum actuum*. Per hoc insinuans libertatem potentiæ consistere in dominio sui actus. Dominium autem est facultas utendi et non utendi, seu faciendi et non faciendi, et ideo moderni aliqui liberum arbitrium dicunt esse *facultatem voluntatis et rationis ad utrumlibet*, id est, agendum, vel non agendum, et agendum unum vel alterum. Quod quidem vere dictum est, et ex Aristotele desumptum, 9 Metaphysic., cap. 3, alias text. 12; et ex divo Thoma 1. 2, quæst. 6, art. 2, ad 2, et q. 13, et 1 p., q. 83; ut autem illud sit proprium liberi arbitrii, debet intelligi de potentia proxima, alias non erit illud proprium potentiæ formaliter liberæ; ergo ad hoc explicandum necessarium est addere particulam in dicta descriptione positam, *positis omnibus prærequisitis ad agendum*.

6. *Ex æquiparatione ad intellectum probatur.* — Utrumque declarare possumus, intellectum cum voluntate comparando; nam etiam intellectus habet facultatem agendi et non agendi, ut credendi et non credendi, vel etiam dissentendi et assentiendi, et nihilominus

non est formaliter liber, sicut voluntas : ergo necesse est hoc discrimen in definitione liberi arbitrii explicare, quod sine illis particulis non fit. Supponimus enim liberum arbitrium non esse plures potentias divisim sumptas, nec collectionem earum, sed unam solam, quæ sit domina suorum actuum : esse autem facultatem agendi unum et oppositum, vel agendi et non agendi, non uni tantum, sed multis potentiis convenit, ut dictum est de intellectu, et suo modo convenit etiam appetitui sensitivo, et multo magis voluntati : ergo, per hanc facultatem ad utrumlibet generatim et indistincte sumptam, non explicatur proprietates illius unicæ ac simplicis potentiæ, quæ est liberum arbitrium, nec propria ratio per quam in ratione potentiæ formaliter liberæ constituitur. Ergo, ad hoc explicandum, merito additur esse potentiam quæ habet facultatem agendi et non agendi, positis omnibus prærequisitis ad agendum. Per hanc enim ultimam particulam optime explicatur vis intrinseca liberæ potentiæ ad eliciendum, vel sustinendum actum sola sua potestate, et non ex defectu alienius conditionis necessariæ ad agendum vel non agendum.

7. *Sola voluntas potest efficere et suspendere actum, positis omnibus requisitis.*—Unde, quia hic modus operandi soli voluntati convenit, ideo illa est formaliter libera, et liberum arbitrium. Intellectus autem non habet hanc facultatem intrinsecam ita indifferentem, ut sese possit determinare ad actum, vel suspendere illum, aut ad oppositum se determinare. Nam si objecti veritas sit evidens et sufficienter proponatur, ex necessitate naturali præbet assensum : si vero non sit evidens, sed probabilis, vel credibilis appareat, non potest sese determinare, nisi intercedente voluntate (ut in fide christiana certum est, et idem est cum proportione in humana). Et tunc nunquam intellectus, positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere et non agere, quia unum ex prærequisitis ad agendum, est ut moveatur a voluntate ; et, posita tali motione non potest non agere, illa autem non posita necessario non agit, non tam ex potentia non agendi quam ex impotentia agendi. Voluntas autem, positis omnibus requisitis ad agendum, sicut potest agere ex interna facultate, se determinando sine motione alterius potentiæ, ita ex eadem interna facultate potest non agere, suspendendo suum influxum ex interna vi et dominio, vel etiam ex eadem facultate aliud seu contrarium agendo, si ex parte objecti suffi-

ciens propositio ad utrumque facta sit. Per illam ergo particulam optime completur descriptio liberi arbitrii, non excludendo vel reprobando alias, sed explicando de qua potestate agendi intelligi debeant ut bonæ sint, utique de potestate proxima, quæ per se ad utramque partem flecti possit sine mutatione status, ut sic dicam, per quam scilicet mutationem impotens ad agendum vel non agendum fiat.

8. *Secunda assertio.—Descriptio libertatis in sensu composito est intelligenda.*—Secundo, hinc dicimus descriptionem illam in sensu composito esse intelligendam, sicut ab omnibus auctoribus qui illam attigerunt est intellecta. Et probatur facile, quia, positis omnibus prærequisitis ad agendum posse non agere in sensu diviso, id est, retinere potestatem ad non agendum, ablata aliqua conditione ex prærequisitis, non est proprium potentiæ liberæ, sed cuilibet naturaliter agenti convenit. Nam sol etiam ita illuminat, cum omnia requisita concurrunt, ut possit non illuminare, si fenestræ claudantur ; et oculus videt objectum imprimens speciem, et aptus est ad eandem visionem, si auferatur species ; et intellectus ipse, dum credit a voluntate motus, potens est ad non credendum, si voluntas aut non moveat, aut in contrarium actum inclinet : non enim suam potentiam in actu primo, quam innatam habet ad utrumque actum, amittit, quando ad credendum per voluntatem applicatur : ergo, positis omnibus requisitis, est potentia non credendi vel dissentiendi in sensu diviso : ergo id non est satis ad potentiam formaliter liberam : vel dicendum est intellectum esse potentiam formaliter liberam, quod nec verum est, neque a dictis auctoribus admittitur : ergo, ut illis verbis formalis libertas voluntatis explicetur, necesse est ut in sensu composito accipiantur.

9. *Probatur ex voluntate beata.—Idem in brutis probatur.*—Idem argumentum sumi potest ex ipsamet voluntate ; nam in beatitudine, non libere sed necessario beatus amat Deum, quia, positis prærequisitis ad illum amorem, non potest non amare in sensu composito, et nihilominus ibi etiam retinet potestatem non amandi in sensu diviso : nam si visio ad illum amorem requisita auferatur, poterit voluntas ab illo amore cessare, sicut in Paulo contigit, si in raptu Deum vidit. Neque refert quod illa necessitas aliunde proveniat, nimirum ex vi objecti et visionis, quia nihilominus sub illa manet potestas ad non amandum in sensu diviso, et in hoc tantum

fit æquiparatio. Deinde voluntas in actibus indeliberatis, quales sunt etiam motus gratiæ excitantis, ex necessitate et sine libertate operatur : quia, positis præviis requisitis ad illum actum, non potest actum continere, cum tamen in sensu diviso possit ab illo cessare, ut constat. Quin potius etiam in brutis idem genus indifferentiæ inveniretur ; possunt enim sponte sua et moveri et quiescere, et ad unam partem et ad oppositum moveri. Propter quod dixit Aristoteles, 8 Phys., text. 40, habere in seipsis moveri et non moveri, et ideo quando, positis omnibus requisitis, aliquid appetunt, potestatem retinent ad cessandum ab illo appetitu, et ad contrarium appetendum in sensu diviso, id est, si aliquid ex illis prærequisitis auferatur, vel aliud diversum adhibeatur. Et nihilominus quia, positis prærequisitis, ita ad unum determinantur ut in sensu composito, id est, illis stantibus, nec aliud appetere, nec ab illo appetitu cessare valeant, ideo sine libertate operantur. Unde D. Thom., q. 24 de Verit., art. 2 : *In brutis (ait) est quedam similitudo liberi arbitrii, in quantum possunt agere, vel non agere unum et idem, secundum suum iudicium ; sed quia eorum iudicium est determinatum ad unum, per consequens eorum appetitus et actio ad unum determinatur : et in solut., ad 2 et 3, dicit esse in brutis quamdam indifferentiam actionum, quia eorum potentia motiva non magis inclinatur ex se ad unum motum quam ad alium, et idem suo modo esse in appetitu eorum, et tamen non esse libertatem, quia, posita apprehensione et iudicio phantasiæ, ad unum determinantur. Ex quibus verbis colligimus necessarium esse ad libertatem ut, stante eodem iudicio cum talibus prærequisitis, tam actio quam non actio sit in potestate agentis, nec satis esse quod in eo sit potestas ad agendum et non agendum, variato iudicio : nam hanc etiam potestatem habent bruta ; eadem autem ratio est de cæteris prærequisitis, ut mox dicam.*

10. *Ratio convincens.*—Ratio denique hanc partem convincit, quia non quælibet potestas agendi et non agendi ad libertatem sufficit, sed illa quæ est ex interna potestate, et eminenti virtute, ac dominio (ut in præcedenti capite declaravi) ; at vero ita operari positis omnibus requisitis ad agendum, ut solum possit facultas ab operatione cessare in sensu diviso, id est, sublato aliquo ex requisitis, non est posse cessare ex interna potestate et dominio actionis : ergo non satis est ad libertatem. Minor

probatur, quia tunc non cessatur ex potestate non agendi, sed potius ex impotentia agendi, quia nimirum nulla causa agere valet, nisi positus omnibus requisitis ad agendum. Et confirmatur, quia alias postquam voluntas, positus omnibus prærequisitis, velle incepit, non poterit sua sponte ab actuali voluntate cessare, stantibus iisdem prærequisitis, sed oportebit aliquod illorum auferri ut ipsa cesset ; hoc autem est et contra experientiam et contra usum libertatis : ergo. Sequela probatur, nam eadem est ratio de inceptioe actus, et de perseverantia in illo : imo aliqui existimant magis necessariam esse continuationem quam inceptioem, saltem pro brevi morula, quod nec verum est nec nostra nunc refert : satis enim est quod æqualis ratio intercedat. Si ergo voluntas, stantibus omnibus prærequisitis ad perseverandum, potest sua sponte et interna vi ab amando cessare, componendo simul illam cessationem cum illis prærequisitis, eadem profecto vel majori ratione poterit non inchoare amorem, stantibus omnibus prærequisitis, negationem agendi cum eisdem prærequisitis simul componendo, vel si hoc posterius non potest, profecto nec illud prius potest. Unde ulterius confirmatur a contrario, quia si, positus illis prærequisitis, non relinquatur potestas non agendi in sensu composito, ergo ex potentia sic constituta cum omnibus prærequisitis necessario sequitur actio : ergo talis actio non est libera, cum ex necessitate sequatur ad potentiam antecedenter ad omnem usum libertatis ita dispositam, ut cum tali dispositione non possit actionem continere et sine illa præparatione non possit illam elicere.

11. *Ultima confirmatio, ex absurdo oppositæ sententiæ.*—Tandem confirmatur, quia ex altera sententiâ sequitur voluntatem nunquam habere potentiam proximam agendi et non agendi : consequens est contra libertatis usum : ergo. Sequela probatur, quia ut recte dixit Capr. in 2, distinct. 28, quæstion. 1., artic. 3, ad 2 et 3, contra quartam conclusionem, potentia in sensu diviso solum est potentia remota, et potentia proxima includit omnia requisita ad actum, ut supra ex Scoto retulimus. Et probatur clare, quia illa quæ dicitur potestas solum in sensu diviso, non potest immediate reduci ad actum, sed oportet ut præcedat aliqua dispositio aut mutatio, qua potentia reddatur proxima, acquirendo aliquid necessarium ad actum, vel tollendo impedimentum actus, ut homo carens lumine gloriæ dicitur potens ad videndum Deum, non in